



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Radius Ex Desiderio Justitiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

Vide Bonfrer.
in Exodum.
Fecit enim, &c.
Salianum in
Annalib.

Artis labore, *Manna* de cœlo cadens, exsculptur, additurque Epigraphe: *Iustis Esurientibus*. Mirabile prorsus DEI arcanum (ut notant sacrarum litterarum Interpretes) quod solis Iustis inter Israëlitas, *Manna omnem* saporem suavitatis præbuerit; nam alioqui Injusti vociferari justè non potuissent: *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo!* Beati igitur qui esuriverunt & sitiverunt Justitiam, ipsi enim soli sunt cibo cœlesti recreati & satiati, qui cibis omnem saporem contineret. Sed & *Opalus* gemma rectè huic picturæ subjici videtur, ob tantam in ea lucis varietatem; desiderium enim Justitiæ multas variâsque virtutes complectitur. Talis *VEN. Arnestus*, qui rationes omnes vitæ suæ, id est noxas suas omnes, defectus, remedia, consilia, ut impiger mercator, libello comprehensa semper apud se gestabat, & lucra spiritualia conferebat in corde, perennitèrque famebat & sitiebat Justitiam. Oraculum suum pius *Jesvs* implevit, atque in ejus animam omnium virtutum, & omnis Justitiæ saturitatem, velut roseidum *Manna*, sine mensura *Gomor*, abundantissimè de cœlo infudit.

RADIUS EX DESIDERIO JUSTITIÆ.

Qui sancti-
moniam esu-
riunt, im-
pleantur.

Nihil cœleste de cœlo, sine desiderio nostro, cadit. Astra vigilantibus, & desiderantibus, & utentibus favent. Parcè *DEVS* gratiam ijs dispensat, qui gratiâ non utuntur. Gratiam omnibus parare divinum est; uti eâ, nostrum & *DEI*. Qui plus desiderat, plus habet; eadem mensura est desideriorum & gratiarum; qui esuriunt saturantur. Mira res! in vita divina & cœlesti, esurire & sitire, comedere est! nulli mensa virtutum patet, nisi famenti. *Esurientes DEVS implet bonis, fastidiosos divites seu saturos dimittit inanes*. Ipsi cibi cœlestes appeti se volunt, fugiunt nauseantem. Vitæ signum est respiratio, & animæ *DEO* implendæ præcipuum indicium, fames & sitis Justitiæ. Nam vita & spiritus ignis instar habet, qui semper in pabulo suo, si vivit, occupatur: etenim mortuus, & sine pabulo ignis, ubi reperitur? nisi forsitan in cœlo, aut apud Chemicos inclusus, & violentè ca-
ptivus.

C. XXIV. COELESTIS BEATIT. VIII. RADII. 441

ptivus. Sanitatem animantium, cum ardentem comedunt, agnos-
 scimus: sic animas, quæ Justitiam, ut cibum, vel ex flamma ra-
 piunt. Verissimum illud magistrorum est: *nolle jam procedere &*
non proficere, idem esse quod regredi. In hoc fluctu rerum huma-
 narum, & rapido torrente, in defluxu universæ naturæ, atque
 etiam *ambulatoriâ nostrâ & instabili voluntate*, omnes deorsum
 ferimur, & projicimur: eundem locum in flumine tenere non
 possumus, nisi contra torrentem magno labore nitamur. Itaque,
 ut in versatili machina fodinarum, & in rota, quæ calcando ab
 homine movetur, stare nulli conceditur, ipsum stare ruina est; &
 si eodem in vestigio consistere cupis, progrediendum est; sic in
 vita cœlesti ambulatur, ut profectus profectum sequatur. Imi-
 tanda etiam mercatorum sedulitas, qui lucrum in arca non ab-
 sccondunt, sed ex ipso lucro aliud cogitant lucrum. Ita pecunia
 ex se sterilis, cogitur ad partem, & pecuniæ ex pecunijs genera-
 tur. Nobilior est virtutum & gratiæ cœlestis mercatus, quia cer-
 tior, securior, pretiosior: & quia à gratiosiore, & grato magis,
 gratiosius proficiscitur opus. Nōrunt, quid velim, Theologi.
 Arithmetica consulatur, ut vel in centum operibus & actibus
 crescens in die uno gratia computetur, & numeretur.

V. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

EX GEMMA SARDA.

VEN. ARN. MISERICORS, ET PAUPERUM
 PATER ET MATER.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Matth. 5.

Sarda, seu Sardius, Corneolus etiam & Carneolus appellatur à
 Carne: nam carnis sanguinolentæ colorem præfert. Non
 contemnendi sunt (ait doctissimus Boërius Rudolphi Medicus, Cu-
 bicularius & Gemmarius) Sardij Europai. Nam ad Rhenum &
 in Bohemia præstantes inveniuntur. Quis autem non videt in car-
 ne gemmæ hujus eleemosynam & misericordiæ radium appare-
 re? *Visitans speciem tuam eleemosynis, ait Spiritus Sanctus, non*

Smet. 1. 117.

*Carneolus
 misericor-
 diæ symbo-
 lum.*

*L. 2. de gemmâ
 6. 117.*

peccare